Q. D. B. V.

LEGEM HIDDAE

DE

SACCO SINE SVTVRA,

Vom

Beutel ohne Nath,

A

VIDVIS ILEBVRGENSIS DITIONIS
SOLVENDO

ILLVSTRIS ORDINIS IVRIDICI
CONSENSV

PRAESES

CHRISTOPH DONDORFF,

PHIL. ET I.V.D. FACVLTATIS IVRIDICAE LIPS.
ET CVR. PROV. IN INFERIOR. LVSAT.
ASSESSOR

ET

RESPONDENS

M. DIETRICH GOTTHARD EKARD,

ILEBVRGENSIS

AD DIEM VI. JVLII ANNO MDCCXIX.

PVBLICA DISQVISITIONE
EXPONENT

H. L. Q. C.

LITERIS STOPFFELIANIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

B. C. D.

§. I.

Veterum mores pariter ac jura inprimis Germanorum in memoriam revocantes, jucundaque recordatione antiquitatum rudera contemplantes' inter alia offendimus, eos, qui vita cœlibe electa, illisque ſtimulis, quos Deus homini ad appetendam Societatem conjugalem in prima ſtatim creatione indidit, ſubdole ſuppreſſis, imaginaria quadam libertate vitam ſocialem reſpuere conati ſunt, maximo ſemper habitos fuiſſe odio, ita, ut tales cœlibatum affectantes ſpeciali nomine Hageſtoltzen, tanquam ſibi ſolis placentes, ſeparatæque ſuperbiæ & imaginationi propriæ relictos, inſigniverint, prout SCHOTTELIUS *in Tract. de ſingular. & antiqu. German. jur. c. 1. No. 5. & ſeqq.* latius expoſuit. Qua vero ex cauſa Germanis cœlibes iſti adeo inviſi, aut qua juſtitia ejuſmodi mores apud eos recepti probatique fuerint hic prolixius inquirere e re noſtra haud eſſe duximus.

Digitized by Google

§. II.

Non ſolum autem Germani in cœlibes tanto invehebantur odio, ſed etiam Græcos & Romanos eorum mores ſibi feciſſe proprios ex hiſtoriis probatu eſt facillimum. Græci etenim cœlibes omnibus honoribus, juribus ac privilegiis indignos judicarunt, eosque certa, eaque gravi pœna affecerunt; ſiquidem hoc ſupra citatus auctor uberius probat ex PLVTARCHO *c. 26. in Lycurgo* ubi juniores cœlibatum amplectentibus nec aſſurgere nec loco cedere coactos fuiſſe refert, hiſce verbis: Pœnam quoque iis qui uxores ducere nollent LYCVRGVS conſtituit, ut a ſpectandis certis certaminibus arcerentur ac hyeme jubebantur a magiſtratibus nudi in orbem circumire forum atque inter circumeundum cantare carmen quoddam in ſe compoſitum quo judicabant merito ſe hæc pati, quod Legibus obtemperare nollent. Privabantur etiam eo honore, quem juniores ſenioribus exhibent. Unde & illud in Dercyllidem quantumvis præclarum Ducem dictum a nemine eſt reprehenſum. Cui accedenti juvenis quidam loco non ceſſit, quia inquit; tu quoque nullum genuiſti, qui mihi aliquando aſſurgere poſſit. *De Corinthiis*, qui myſogamis honeſtam ſepulturam denegabant; SCOENBORN *Polit. Lib. 1. c. 5. Atbenienſibus*, qui pœnam pecuniariam ſtatuebant, aut Hiſpanis, qui odio myſogamiæ matrimonia maturantibus præmia conſtituerunt, uberiora commemorare nobis non eſt animus benevolum lectorem ad citatum auctorem potius remittentes. Conf. ea quæ ex PLATONE *L. 6. d. LL.* SCIPIO *Amirat. L. 2. Polit. Diſſ. in Taciti diſc. 12. de Florentinis recenſet.*

§. III.

Nec ignotum eſt, quid Romani hac in parte ſtatuerint, de his enim VALERIVS *M. L. 2. c. 9.* diſerte teſtatur, cenſo-

cenſores Romanos Camillum ſcilicet & Poſthumum, eos, qui ad ſenectutem cœlibes pervenerant, pœnæ nomine æra in ærarium deferre juſſiſſe. Cui aſſerto quidem contrariebatur Lex Julia Fiſcella, (ab aliis Miſcella dicta, *vid. Roſini antiq. Rom. L. 8. c. 18.* rubr. Julia Miſcella Lex) quæ ab Auguſto Imperatore anno ab. U. C. 759. aliis Legibus adjecta eaque cautum eſt, ne conjuges ad ſecunda transirent vota, niſi jurato promitterent, ſe ſobolis procreandæ cauſa matrimonium iterare. Cui tamen legi non ſolum ab ipſo Auguſto anno 761. derogatum, ſed etiam poſtmodum per L. Juliam Papiam Poppæam vis omnis ademta eſt, *Nov. 22. c. 43. 44.* GOEDDEVS *in Com. ad L. 128. de V. S.* E contrario iidem Romani maximis privilegiis, immunitatibus ac muneribus eos, qui promovendæ ſobolis ſtudio ducti matrimonia inibant, ornaverunt. Liceat hic tantummodo provocare ad *L. 1. C. de Legation. L. 3. ff. de mun. & honoribus. Nov. 2. & 39.* quæ allegatæ Leges ſingularem favorem illis, qui matrimonio ſuo civium numerum adaugent, haud immerito attribuunt; Sic iſti, qui 12. Liberos ſuſceperant, a muneribus perſonalibus erant immunes, *per L. 24. C. de Decurion.* modo Liberi iſti prius eſſent ſuſcepti, quam munus parentibus eſſet impoſitum. Sedecim autem Liberi patrem a muneribus patrimonialibus tutum præſtabant, *L. 5. §. 2. ff. de jure immunit.* tam ordinariis quam extraordinariis. *vid.* BERGER. *Oecon. Jur. L. 1. tit. 2. p. 76.* Et noſtra ætate indiſtincte numerus 5. Liberorum a neceſſitate ſuſcipiendæ tutelæ liberat. idem *L. 1. Tit. 4. §. 9.* ubi tamen præſupponendum Liberos uterum maternum jam eſſe egreſſos *l. 2. §. 6. ff. d. excuſat.* naſcituri enim natorum juri tunc accenſentur, quando de eorum agitur commodis, ſecus vero, ſi tertii cujusdam ſit habenda ratio.

§. IV.

Hæc autem, quæ de diverſis gentibus juribusque diverſis dicta ſunt in Germania, nullo habito reſpectu vel ſexus vel etiam ætatis, modo ad progenerandam ſobolem habiles ſint, non nullis in locis obtinent, ita enim teſtatur BESOLDVS *Th. Pract. Lit. G. n. 5.* Diejenigen Perſonen werden Hageſtoltzen genennet, welche, es ſeyn Knaben oder Jungfrauen, in ledigen Stande biß in die 50. Jahr ihres Alters, desgleichen ein Wittwer oder Wittfrau, die 30. Jahr in Wittwen-Stande unveränderlich verharret: Und wenn alſo die Knaben oder Jungfrauen nach Verſcheinung derer 50. Jahre, desgleichen ein Wittber oder Wittfrau nach Ausgang derer 30. Jahre in Wittben-Stande unverändert mit Tode abgangen, und nicht Leibes-Erben hinter ſich verlaſſen, die erbet die Herrſchafft Albersbach an fahrenden Guthe und nicht an liegenden, es ſey dann eigen, dann die Lehn-Güther mit Eigenthum dem Lehnherrn zugehörig, obſchon ſolche abgeſtorbene Perſonen Vater, Mutter, Geſchwiſter oder andere Bluts-Verwandten in auf- oder abſteigender Linie verließ, ſo erben doch dieſelben nichts davon.

§. V.

Haud minima vero ex parte huic conſuetudini & obſervantiæ contrariatur Lex peculiaris, quæ VIDVAS ILEBVRGENSES ad ſecunda vota tranſituras ad cenſum quendam in ſacco inſuto tanquam certo ſymbolo Præfecto offerendum obligat, antiquam coram eccleſia conjungantur ſub pœna 60. Gr. vel eines neuen Schocks, adeo ut viduis implicite ſecundas nuptias interdictas eſſe adpareat. Cum itaque hoc thema ventilatione publica ſatis dignum reputavimus, ſic illud noſtrum fecimus in ejusque ortum ac obſervantiam inquirere conſtituimus.

§. VI.

§. VI.

Ut igitur juſto procedamus ordine & autorem hujus Legis ex ſcriptorum monumentis ſiſtamus, ante omnia ea adducere placuit, quæ M. JEREM. SIMON *in Chron. Ileburg. p. 286. & p. 502. ex Betulii* Sächſiſchen Helden-Saal *& Dithmari Chronic. L. 7. allegat.* DITERICVS ſcilicet, Burggravius Miſniæ & in Zörbig, Comes Wettini, Martisburgi & Ilenburgi Dominus in Budſez jure hereditario urbes Martisburgum & Ilenburgum acquiſiverat. Cum enim matrimonio ſibi junxiſſet Juttam ſeu Juditham Bionis Martisburgi & Ilenburgi Comitis e familia Wittekindorum oriundi filiam ex qua Dedonem II. & Fridericum ſuſcepit, factum eſt, ut ſocero, Bione abſque heredibus maſculis decedente, prædictas urbes cum earum ditionibus ſibi acquireret & in Liberos ſuos transferret, qui horum comitatuum heredes an. 983. facti ab Ottone III. ſuper his inveſtiti ſunt, vid. DITHMAR. *CHRON. Lib. 16. p. 155.* BROTTVFF. *L. 1. c. 12. & L. 2. c. 2.* DRESSER. *Millen. part. 2. p. 364.* SPENER. *Syllab. hiſt. p. 209.* FRIDERICVS vero fratre ſuo DEDONE ad Tangermundam lethali vulnere extincto ſolus rerum potiebatur, indeque primus Burggravius Miſniæ e domo Wettinenſi ab Ottone III. factus dicitur ſuffragante ALBIN. *in Chron. t. 8. p. 97. t. 10. p. III.* REVSNER. *Stem. Wittek. p. 26.* FABRIC. *Orig. Saxon. L. 5. p. 516.*

§. VII.

Mortuo tandem FRIDERICO *an. 1017.* Ileburgi, ibidemque in arcis ſacello terræ demandato, tres ejus filiæ, cum nollos reliquiſſet maſculos, ſuperſtites fuere; ODA videlicet Adelberto ſive Albrechto, Pincernæ in Sommerſeeburg matrimonio juncta, HILDA, deinde Burggravio Miſniæ deſponſatâ tandem HIDDA, Comes Ileburgi, Wettini

&

& Seusliz. Hanc Comitem Legis noſtræ, quam ventilandam publica diſputatione propoſuimus, auctorem LLatoremque agnoſcimus, quippe quæ vitam vivens cœlibem tanto in viduas fecunda vota appetentes invehebatur odio, utcum ſe in totum prohibendo imparem videret, hanc Legem ſanciret: Daß alle Wittben, ſo ſich in der Stadt oder auſſer derſelben in ihrem Gebiethe verehlichen wollen, zuvor auf das Schloß oder ins Amt einen Beutel ohne Nath und darinnen 2. Schreckenberger bey Straffe eines neuen Schocks einliefern oder einſchicken müſſen. vid. SIMON. *Chron. Ileb. p. 286. & 502.*

§. VIII.

Nec eſt, quod dubitemus, Legem hanc adhuc in viridi eſſe obſervantia, ſiquidem non ſolum in Corpore Iuris Saxon. expreſſis verbis ejus mentio facta eſt ſub tit. Tax und Moderation der Aemter. Amt Eilenburg *p. 608.*

Sieben Groſchen giebt eine Wittbe, welche ſich inn- oder auſſerhalb der Stadt wiederum verehliget, dem Amts-Verwalter.

Vier Pfennige dem Land-Knecht, neben einem Beutelgen eines oder zweyer Pfennige würdig.

Sed etiam tam ſtricte in hodiernum usque diem obſervatur, ut nullus, quantum cognoſci potuit adhuc extiterit caſus, quo Sereniſſimus diſpenſationem conceſſerit.

§. IX.

Nunc ergo proprius ad rem deveniendum atque ipſa Lex penitius explananda erit; & primo perſonas, quibus data eſt, deinde naturam ac indolem, tandem, quos habeat effectus, perluſtrabimus; Perſonæ itaque, quibus data hæc Lex, ſunt viduæ, cujus ἔτυμον ſuppeditat *L. 242. §. 3. ff. d. V. S.* quod nimirum non ſolum ea ſit vidua, quæ aliquando nupta fuiſſet, ſed ea quoque, quæ virum non habuiſſet & viduus, ſic dictus ſit quaſi vecors, veſanus, qui ſine corde ac ſanitate

eſſet,

Digitized by Google

eſſet, ſimiliter vidua dicta ſit ſine duitate, quia nimirum ad eſſentiam matrimonii duæ perſonæ requiruntur, quarum una ſublata, hæc duitas, ut ita loquar, amplius non poteſt prædicari. Nec incongruum erit, paucis, quomodo hoc vocabulum de aliis rebus plane diverſis efferri ſoleat, deducere; ita enim Suetonius urbem civibus viduatam dicit; nec minus VIRGILIVS *L. 8. Æneid.* funera tam multis viduaſſet civibus urbem; imo & metaphorice arborem fructibus viduam PLINIVS; & pectus amoris viduum OVIDIVS dicere aſſolent. Porro hoc vocabulum recipit varios ſignificatus: ita vidua ſumitur pro ea, cujus vir adhuc in vivis ſed inutilis vel abſens eſt. SPEIDEL *Th. Pr. v.* Wittbe *&* ALCIATVS *ad L. 242. §. 3. ff. d. V. S.* nec infrequens eſt Germanis loquendi formula Stroh-Wittben, qua ſcilicet ejusmodi perſonas denotant, quæ abſque ſocio in lecto vel ſtramine dormire coguntur, ſub qua ſolitaria vita etiam virgines comprehendi poſſe apparet ex alleg. Lege 242. *ff. d. V. S. j. L. 13. eod. & c. 2. X. de Translat. Epiſc.*

§. X.

Proprie vero vidua eſt, cujus vir mortuus eſt, prout HIERONYMVS *habet c. 16. vidua Diſt. 34. & Iſidorus L. 9. Etymol. c. 8.* viduam vocat, quæ cum uno viro fuit, nec circa conſortium alterius viri poſt mortem conjugis prioris adhæſit *Cz. l. 2. reſp. 29. n. 8.* vocatur etiam conjux ſuperſtes per avthent. præterea. C. unde vir & uxor. Duplici autem modo vidua fieri poteſt, caſu ſcilicet, aut culpa; caſu vel mortalitatis vel compertæ impotentiæ; morte vero & quidem naturali contingit, quia mors omnia ſolvit & proſternit *L. 59. ff. de Re Iud. L. 191. ff. de R. I.* ergo & matrimonium *L. 1. ff. de divort. Nov. 22. c. 20.* Matrimonium enim conſiſtit e viri atque mulieris conjunctione individuam vitæ conſuetudinem continente, quamprimum autem unus

deficit, ipſam quoque conſuetudinem ceſſare oportet; nec enim conjugium a viro ſolo vel ſola muliere iniri poteſt. vid. *Libenthal. Coll. Polit.* & *Jacobi Thomaſii Tabul. Polit.* unus enim non eſt nnmerus, ſed numeri principium, ergo unus non poteſt conſtituere ſocietatem cum ſe ipſo. Civili morte mariti olim uxor fiebat vidua v. g. ſervitute pœnæ *§. 1. Inſt de Cap. Demin. L. 24. C. de Donat. inter virum & uxorem.* Captivitate *L. 1. ff. de divort.* mutua voluntate *L. 62. pr. ff. de Donat. inter V. & Vx.* aliisque modis, quos ſicco jam pede prætereimus. Hodie vero propter allegatas has rationes matrimonium non facile diſſolvitur, ſiquidem uxor maritum ſequi tenetur, quod non ſolum in relegatione ſed etiam in fuſtigatione ſuo modo obtinet, *l. 1. C. de repudiis*, imo ſi capitis pœna in relegationem mutata eſt, ut in adulterii remiſſione. *vid. Cz. Pr. Cr. qv. 55. n. 22. Gilb. in arbor. judic. Crim. l. 2. tit. 18. n. 21.*

§. XI.

Nunc etiam inhabilitas & impotentia mariti, quæ ſub caſu continetur, conſideranda venit, quæ iterum eſt vel naturalis & ſic defectus aut error naturæ dici meretur, vel accidentalis; quando ſcil. inito jam matrimonio, factum aliquod marito evenerit, v. g. ſi morbo quodam correptus habitare nequeat. Naturalis illa impotentia omne omnino matrimonium invalidum reddit, dummodo altera pars contrahentium hunc defectum neſciverit, *C. decretal. c. 27. qu. 2. c. requiſiviſti 33. q. l. H. X. d. frigid. & malefic. L. 10. C d. repud.* Exempla habemus in Evnuchis, Spadonibus. *L. 128. ff. d. V. S. L. 2. §. 1. L. 40. §. f. ff. d. Adopt. L. 6. ff. d. Lib. & poſth.* & in Attritis *L. 14. §. 7. ff. d. ædil. edict.* vid. *Amman. Iren. p. 154.* nec non in Thlibiis & Thlaſiis juxta *L. 128. ff. d. V. S.* ibique Svevius. Si autem v. g. ſponſa ſponſi ſui conſtitutionem præſciverit & ſic ex alia quam

coha-

cohabitandi cauſa ei nupſerit, nulla ſeparatio ſtatuenda eſt: KLING. *de cauſis matrimon. c. 5. n. 90.* BIDENBACH *in Tract. de cauſ. matrim. c. 7. q. 6. vid. c. 5. X. de frigid. & malefic.* Sed longe aliter ſe rem habere deprehendimus, quando correptio quædam poſtmodum ſupervenit, v. g. ſi quis morbo aut incantationibus vires ſuas amiſit, item ſi furor ex morbo remanſerit, ubi matrimonii vinculum ſtricte conſervatur *d. L. 22. §. 7. verſ. cum autem ff. ſolut. matrim. c. quod autem interrogaſti 27. q. 2.* conjuges enim utramque fortunam ferre tenentur. *L. 22. §. 7. ff. ſolut. matrim.* aſſerit idem hoc divus LVTHERVS *Tom. 2. Jenenſ.* **Wie nun, wenn jemand ein Gemahl hat, das ihm zur ehlichen Pflicht kein Nutz worden iſt, mag der nicht ein anders nehmen? bey Leibe nicht.** *Gerhard. in Tom. 7. Loc. Theol. §. 687.* videmus tamen ex obſervantia hodierna, quod, pro ratione circumſtantiarum nonnunquam ſeparatio a thoro & menſa concedi ſoleat.

§. XII.

Vidua porro fit, quando matrimonium culpa quadam diſſolvitur, qualis eſt 1) adulterium, 2) malitioſa deſertio, 3) denegatio debiti conjugalis, & 4) ſi vitæ inſidiæ ſtructæ ſint. De adulterio non eſt, quod dubitemus, quippe propter quod non ſolum ſupremus Legislator ipſe Deus omnipotens in ſacra Scriptura matrimonium diſſolvendum innuit *Matth. 5. v. 27. c. 19. v. 9. Marc. 10. v. 11. 12. Luc. 16. v. 18. 1. Cor. 7. v. 10. 11.* ſed etiam Leges humanæ diſponunt, uti hoc apparet tam ex jure Canonico *c. nemo. 32. qv. 4. c. puto 32. qv. 5. c. cum præcipit 32. q. 5.* quam Saxonico *P. IV. Conſtit. 19.* verbis: **Darüber aber. ibid. der Ehemann, ſo mit einer ledigen Dirne oder unverehelichten Weibe ſeine Ehe bricht. ꝛc.** *Conſt. Eccleſ. Elect. Arg. Tit. de pœna ſtupri & Adult p. 117. Pol.* **Ord.** *Tit.* **von Hurerey und Ehebruch 4. §. da einer eines**

 andern.

andern. nec non civili Romano vid. *L. 8. §. 2. C. d. Repud. Nov. 22. c. 15.* BEVST. *ad L. 41. ff. de Jurej. n. 961.* Quid nunc de malitioſa deſertione dicendum erit? nonne & hæc matrimonium ſolvit & ex conjuge viduum viduamque facit? Affirmandum hoc omnino eſt & quidem de Jure Civili *L. 7. C. d. Repud. L. 6. ff. d. divort. Nov. 22. c. 7. de Jure Canon. c. 8. X.* qui filii ſint legitimi. Et de Jure Saxonico inſtituto Proceſſu deſertionis, ubi parti innocenti licentia nubendi conceditur. CARPZ. *Jpr. Conſiſt. l. 2. def. 192.*

§. XIII.

De tertio jam membro puta denegatione debiti conjugalis, qua matrimonium ſolvitur, diſpiciendum eſt. Gravis quidem hic eſt controverſia inter Doctores, an præter adulterii & malitioſæ deſertionis cauſam alia æque gravis admitti debeat; Etenim, quoniam *Matth. 19. v. 9.* aliisque Scripturæ S. locis parallelis adulterii tanquam cauſæ divortii tantum fit mentio, a DD. autem etiam malitioſa deſertio eo fine addita eſt, non video, cur propter identitatem rationis ob cauſas æque graves non permittatur nexus matrimonialis reſolutio etiam qua vinculum. Præſertim cum ipſi Theologi atteſtentur, Chriſti inſtitutum haud fuiſſe in citato aliisque Novi teſtamenti textibus omnes exprimere divortiorum cauſas ſufficientes, ſed eas ſaltem, quæ occaſioni illi, ſuper qua ex ipſo quærebatur, poterant inſervire. BEZA *de divortio p. 217.* Quod autem de levioribus ſaltem interrogatus fuerit Salvator, innuit SPANHEIM *in dubiis Evangelicis dub. 148. n. 10.* Deinde ſi ob impotentiam alterius conjugis Conſiſtoria Evangelica diſſolutionem indulgent, de qua CARPZ. *Jpr. Eccl. tit. 11. def. 200.* nulla prohibitionis ratio videtur in gravioribus, *vid. illuſt.* RHETII *meditat. Juſtin. diſſ. 5. th. 2.* His itaque præmiſſis, facile liquet ob denegatum debitum conjugale

matri-

matrimonium diſſolvendum eſſe. Dum enim maritus aut uxor neque ſobolis creationem neque reſtinctionem libidinis intendit, adeoque cum malitioſo deſertore pari paſſu ambulat denegans, hinc nihil iniquitatis in diſſolvendo matrimonio ſubeſſe puto, vid. TIRAQVELL. *in L. connub. concl. 6. n. 15.* Præterea inſidias vitæ conjugis ſtructas anſam petendi diſſolutionem vinculi conjugalis quandoque præbere videas. Quis enim mente adeo præceps eſſet, qui certiſſime perſuaſus ſibi omnia malorum genera ſubdole ab uxore eſſe parata, eam tamen non evitare ſed potius anguem in ſinu fovere, aut dum certo præſentiſcit ſibi ab uxore loco ſuavis amplexus mortis ingreſſum expectandum, ſe ſuo gladio jugulare vellet. Sed quia provida ſunt jura, nec ſtatim ſolutionem vinculi permittunt, ſed potius omnia prius tentari jubent, hinc partem lædentem admonitione & privata & publica, hac vero fruſtra tentata, cautione juratoria vel alia de non lædendo compellendam præcipiunt SCHNEIDEW. *de nupt. P. 4. n. 16.* COLERVS *Proceſſ. Ex. P. 1. c. 2. n. 140.* His jungi ſolet remediis cuſtodia *C. Extransmiſſa 8. X. de reſtitut. ſpoliat.* Nec non ſeparatio quoad thorum & menſam GERHARD. *t. 7. §. 637.* Quibus omnibus fruſtra tentatis ipſum divortium ſunt qui concedant. vid. RITTERSKHVSIVS *L. 2. diff. J. C. & Can. c. 12.* MENOCH. *cent. 2. arb. qu. c. 138.* at conſcientiæ periculoſum eſſe hoc inſtitutum cenſuit FAC. THEOL. & JVRID. LIPS. *Menſ. Aug. 1712.*

§. XIV.

Satis jam de modis, quibus viduitas conſtituatur tractatum eſt, ſub quibus utriusque ſexus perſonas comprehendi extra dubitationis aleam poſitum eſt. Si vero jam ad noſtram legem recurrimus, quæ in odium viduarum ſolummodo introducta eſſe videtur, maritos priore conju-

ge orbatos hac lege minime teneri aperte conſtat. Inter Rationes haud ultima ſe ſiſtit ea, quam habet JASON *in avth. cui relictum C. de indict. viduit. toll.* ſcilicet, quod domus non poſſit vacare negotiis, quippe quæ ſi mulieris adminiſtrationi dicata fuerunt, jam ob mariti adminiſtrandi imperitiam penitus everterentur. Præterea allegaſſe placuit, quod antiquitus viro nullum iugendi tempus præſcriptum, cum hoc familia non facile permittat; Imo non videtur vir præjudicare familiæ, cum pater quovis tempore optimum pro liberis præſumatur fovere conſilium. Quam ob cauſam viduos ab hoc cenſu immunes impune ad ſecunda vota tranſire, novumque matrimonium inire poſſe nulli dubitamus.

§. XV.

Lex itaque iſthæc omnes, quæ in urbe Ileburgo & in ditione ad Præfecturam ejusdem pertinente degunt, viduas ad ſecunda vota tranſituras obligat, & ad cenſum duorum Schreckenbergerorum in ſacco inſuto, oblatis ſimul quatuor nummis apparitori vel miniſtro judicii dem Land-Knecht ante benedictionem ſacerdotalem ſolvendam adſtringit. Ridicula quidem iſta ſanctio primo intuitu eſſe videtur, ſiquidem, cur ſaccus non ſutus adhiberi debeat, nulla prorſus ratio conveniens reddi poteſt: ſed utut eſt, nihilominus tamen & hic applicare liceat *L. 20. ff. d. LL.* quod nimirum non omnium, quæ a majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi poſſit. Et quanquam nos haud lateat eſſe, qui ex gentiliſmo hancce Legem deſumtam arbitrantur, dum viduæ gentiles poſt mortem mariti ALCMENÆ, CUPIDINI aliisque reliquias mariti ſacrificarunt, de quibus LACTANT. *d. falſ. relig. c. 9. & d. Orig. error. c. 7.* Inde VALERIUS FLACCUS *L. 8. Argonaut.* de nuptiis *Jaſonis & Medeæ* ita cecinit:

Inde

Inde ubi ſacrificas cum conjuge venit ad aras.
AEſonides,

Nobis tamen hoc aſſerere religio eſt.

Sufficiat potius hic adduxiſſe, ſaccum tanquam continens pro contento in jure reperiri, uti hoc ſatis apparet, ex *L. 105. ff. d. ſolution.* in qua Creditor, ne debitorem cum ſacço ſtatim adire debeat, prohibetur; immo loquendi formula emtio in folle & per averſionem im Sacke kauffen, ſatis trita eſt, ut taceam traditionem per brevem manum hac ſymbolica traditione innui.

§. XVI.

Schreckenbergerus autem eſt moneta antiqua & nomen a loco ubi cuſa eſt accepit. Anno nimirum 1490. metalli fodina quædam Annæbergenſis inventa paulo poſt & quidem anno 1499. maxima benedictione proventus exhibuit, quo factum eſt, ut a loco der Schreckenberg dicto, in quo primum iſte theſaurus inveniebatur, ſimul illa, quæ ex hoc argento parabatur, pecunia, nomen der Schreckenberger retineret: Anno 1499. nachdem das Bergwerck zu St. Annáberg 1490. angegangen, hat man in dieſem Jahr eine neue Müntze zu ſchlagen angefangen, welche von dem Berge, in welchen der erſte Stollen getrieben, und der vor dieſem der Schreckenberg genennet worden, den Nahmen bekommen, daß ſie Schreckenberger, ingleichen auch von dem darauf geprägten Engels-Bilde Engel-Groſchen geheiſſen. *vid.* ALBIN. Berg-Chronic. *L. 1. p. 45.* BETVLII Sächßiſ. Helden-Saal *p 519.* KNAVTHS *Prodr. Miſn. p. 135.* quæ omnia *M. Simon in Chronico Ilenburg.* collegit: *p. 343. 548.* Valor ejusdem monetæ olim fuit: 1. Silber-Groſchen, deren ihrer 7. vor einen Rheiniſchen Gülden, (davon einer damahlen nicht mehr als 21. Gr. gegolten) ausgemüntzet worden. KNAVTHS *Prodr. Miſn. p. 135.* Poſtea

vero

vero ita valor ejus reſolutus, ut duo Schreckenbergeri ſeptem Groſſos efficerent, unde etiam in Taxa Præfecturæ Ilenburgenſis expreſſus eſt valor æquivalens, verbis: loco 2. Schreckenberger 7. Groſchen,

§. XVII.

Sed nunc ſine dubio, quomodo ille ſaccus ſine ſutura confici poſſit, quæres. Reſpondemus autem partim ex αὐτοψία, partim etiam ex relatione aliorum, quod nunc ſumantur veſiculæ boum, aliarumque pecudum, nunc etiam contexatur, nunc vel ex linteo vel laneo vellere vel holoſerico in formam orbis rotundam, ſcindatur ac deinde ligamento quodam conſtringatur, quo facto, ſacculus facillime conſtabit. Nec eſt, quod magno pretio comparetur, ſiquidem tantum duorum nummorum pretium requirit; prout textus in Corpor. Jur. Sax. allegatus oſtendit, **nebſt einem Beutelgen zweyer oder dreyer Pfennige würdig**; quanquam viduæ opibus ſuffultæ interdum elegantes ornatosque ſacculos offerunt. Hi omnes a Præfecto recepti, in peculiari loco ſuſpendi & reſervari ſolent. Porro hic notandum eſt, quod qui huic Legi ante publicam copulationem, quod etiam in ultima hora adhuc fieri ſolet, nondum obtemperarunt, prius copulationem non impetrent, quam Saccus iſte modo jam dicto exhibitus ſit, cui reſpondet conſuetudo in præfectura Giebichenſtein, ubi copulandi a Præfecto atteſtatum vulgo Stechſchein, Stechzettel dictum, pro certa ſumma redimere atque paſtori producere tenentur. Sicut in Kirchenſcheidung introductum, **die Braut muß den erſten Tag den Herrn geben einen Kuß darzu geben Sie in einem rothen Ledernen Beutel ohne Nath** 30. Groſchen prout in BESOLD. *Theſ. Pr. verb.* Lehn videri poteſt.

§. XIIX.

§. XIIX.

Ita ergo hac lege perſpecta haud inconcinne quæri poteſt, utrumne ad ſecunda vota transire liceat? Notum equidem eſt, nullo unquam tempore ejusmodi homines, qui iteratas nuptias damnarunt, defuiſſe, ex quibus tantum Montaniſtas Polygamiam ſucceſſivam prohibentes in medium ſiſtemus, vid. BALD. *in caſib. conſcient. l. 4. c. 13. Caſ. I.* quanquam idem BALDVINVS ex NICEPHORI *Lib. 4. c. 22.* referat, ipſum Montanum duas ſimul Priſcillam nempe & Maximillam uxores in matrimonio habuiſſe. Neque minus ſtolidam illam de Polygamia ſucceſſiva opinionem foviſſe Phrygiſtas & Catharos ingenue docet EPIPHAN. *L. 2. T. 1. hær. 48. c. 9. & hær. 59. c. 3.* Sed ſi hiſtoriam primitivæ eccleſiæ introſpicias, etiam patres Theologos ſecundas nuptias disſuaſiſſe reperies, uti hoc ſatis apparet ex *C. una tantum 4. diſt. 20. & c. 9. hac ratione it. c. 10. quomodo virginibus c. 31. qu. 1.* Hi ergo Theologi, quos inter primipili erant Hieronymus, Ambroſius, Origenes & Tertullianus variis argumentis ex ſacro Codice deſumtis ſuam opinionem colorabant, & iteratas nuptias fortiter impugnabant. Sed Hieronymus poſtmodum ſuam mutavit ſententiam, prout hoc edocemur *ex c. 11. aperiant quæſo 31. qu. 1.* quippe qui ab Auguſtino hac de re argumentis longe validioribus convictus fuit, teſtante hoc *c. Deus maſculum & fœminam 12. & c. quodſi dormierit. 13. c. 31. quæſt. 1.* Theologorum recentiorum aliorumque Dd. opiniones circa hanc controverſiam ſollicite conſarcinare a ſcopo alienum putamus, ſi quis vero eas ſibi cognitas reddere velit, eum ad GERHARD. *in loc. d. Conjug.* BEZAM. *de Polygam.* ARNIS. *de Jur. Connub. c. 5. ſect. 3. n. 6.* ALBER. GENTIL. *de nupt. l. 6.* CARPZOV. *in Jpr. Conſiſt. L. 2. T. 9. d. 158.* remittimus.

§. XIX.

Licere autem ad ſecunda vota tranſire, probatu eſt facillimum. Si enim 1.) ſacras evolvimus paginas, ſatis ſuperque conſtabit, non tantum in veteri ſed novo etiam fœdere illud permitti. vide *1. Sam.* XX, 42. inprimis autem hoc ingenue docet divus *Apoſtolus Paulus 1. Cor. VII, 39.* ubi viduam, inquit, legi alligatam, quamdiu vir vixit, quo mortuo libera eſt ad nubendum, cui velit conf. *Rom. VII. 2. 3. & 1. Timoth. V. 14.* accedit 2.) non ſolum jus Civile, uti hoc apparet ex *tot. Tit. C. de ſecundis Nupt.* ſed etiam, 3.) Jus Canonicum per *c. aperiant 31. q. 1. & c. ult. 31. q. 1. c. Deus 31. q. 1.* Non obſtante *L. 1. C. de ſecund. nupt.* ſiquidem diverſitas rationis in eo conſiſtit, quod lex loquatur de viduis, quæ, tempore luctus non abſoluto, ad vota ſecunda advolant. Nec eſt, quod exiſtimemus virtuti viduarum ex ficta quadam incontinentia maculam quandam inuri, nam cum virtus vitiumque vel ex honeſtate vel ex pravitate dependet, ita virtutem in viduis ad ſecunda vota tranſeuntibus vim pati haud aſſerendum putamus. vid. COTHM. *Vol. 1. Reſp. 48. n. 194.* Clerici tamen Pontificiæ religioni addicti adeo a viduis nuptias iterantibus abhorrent, ut non ſolum convivio nuptiali intereſſe vitent, ſed etiam in eccleſia benedictionem ſacerdotalem denegent. vid. BALD. *in Caſ. conſc. l. 4. c. 13. caſ. 3. j. c. ſi qua, & ſicut bonum* it. *viduas autem c. 27. q. 1.*

§. XX.

Porro hic quæritur, annon ſecundæ nuptiæ a primo marito prohiberi poſſint, & ſi viduitas ab uxore promiſſa, an obligetur, quo minus alteri nubat? hæc quæſtio bimembris dividenda erit, ad quam utramque negative reſpondetur, quoad primum ejus membrum, negativam recte defendunt CARPZOV. *L. 2. Juriſpr. Conſ. d. 172.*

STRVV.

Digitized by Google

STRVV. *Syntagm. Jur. Civ. tit. de ritu nupt.* ibique PETER MVLLER *in Comment. ad d. t.* ideo, cum pactum de ſervanda viduitate ſit contra bonos mores & ordinationem Dei primævam, nec prior maritus jus habet in uxorem poſt ejus mortem, dum poſt mortem ceſſat obligatio conjugalis, quare neque quicquam mandare neque prohibere poteſt, vinculum enim ſemel ruptum eſt morte, quæ omnia ſolvit, ergo amplius vir poteſtatem in relictam non habet. CARPZOV. *L. 2. Jurispr. Conſiſt. d. 172.* eleganti præjudicio hoc confirmavit his verbis:

Ob nun wohl ſonſten insgemein alle Chriſtliche und vernünfftige Gott geſchehene Gelübden, von den Menſchen geſchehene Zuſage billig geleiſtet und gehalten werden, dieweil aber dieſe der Verpflegten ihrem Manne geſchehene Zuſage eine Wittwe zu bleiben nicht alleine unbedachtſam, weil auſſer der Ehe mit dem verletzten Gewiſſen zu bleiben in ihrer Macht nicht ſtehet, als welches vor eine beſondere Gabe GOttes zu halten, auch unchriſtlich und dem heiligen Eheſtande, als GOttes Ordnung, zuwider, ſo kan auch ſolche Zuſage nach ihres Mannes Tode in ihrem Gewiſſen die Wittbe nicht verbinden, ſondern ſie kan mit unverletzten Gewiſſen ſich wohl hinwiederum verehligen, hat ſich auch dabey GOttes Seegens und Gedeyens mehr zu getröſten, als eines Verluſts zu beſorgen.

§. XXI.

Alterum membrum quod ſpectat, videtur majoribus ſubjacere obſtaculis, an uxor ſcilicet marito moriente viduitatem promittens ſervare eandem teneatur, ubi ſtatim diſtinctio præripienda, an motu proprio hoc fecerit, an mariti forſitan perſuaſionibus, metus comminatione, præcluſionis ab hæreditate vel certo legato ſuperinducto. Priori caſu videri poteſt, quod utique obligetur ideo, quod 1.) regulariter pacta & promiſſa ſint ſervanda *p. L. 7. ff.*

 d. pa-

Digitized by Google

d. pactis. cum naturali æquitati conveniens ſit *l. 1. ff. d. t.* nec hic 2.) ſubeſſe videatur turpis aut inhoneſta conditio, ſiquidem in uxoris arbitrio ab initio ſtetit, an viduitatem promittere velit nec ne, quod autem ab initio eſt voluntatis ex poſt facto ſit neceſſitatis, nec eſt 3.) quod in uxoris arbitrio poſtea ſit prætendere ſtimulos carnis, ſiquidem elegans ſane CHEMNIT. *P. 3. Exam. Concil. Trident.* de conjugio & cœlibatu *cap. 4.* ſuppeditat conſilium. Non ſtatim, inquit, uritur, qui calorem ſentit, ſed quando in vita cœlibe titillationes concupiſcentiæ aut aculei te pungunt & æſtum aliquem ſentis, non ſtatim exclames, Te uri; Sed diligentia, conatu, luctu, temperantia & oratione fortiter repugnes, timorem Dei & amorem veræ pudicitiæ opponas, impuras cogitationes præcidas, turpes motus reprimas, occaſiones vires & robur reſiſtendi a Deo tibi dari petas; quodſi hac diligentia flammæ libidinis poſſunt reprimi, repelli, reſtringi, **nondum laboras uſtione**, ſed hoc ipſum eſt donum continentiæ, quod ea patientia in luctu a petentibus accipitur, exſuſcitatur, excolitur & conſervatur. Imo 4.) uxor doloſe videtur marito id promiſiſſe lucri cauſa, & ut eo aptius opimam ſibi polliceri posſit hereditatem. Jam vero jura non ſubveniunt decipientibus, nec dolus alicui debet patrocinari.

§. XXII.

Aſt his non obſtantibus negativam defendere rectius exiſtimamus; reſpondemus enim primo omnia pacta regulariter eſſe ſervanda, quæ non intrinſecam continent turpitudinem moralem, cum ea nec facere nos poſſe credendum *L. 14. & 15. ff. d. Cond. inſtit.* Jam vero talem promiſſionem turpitudinem moralem continere, imo expreſſo Dei mandato contrariam eſſe, jam ſupra deductum, quod autem ab initio vitioſum eſt, tractu temporis reconvaleſcere

Digitized by Google

valeſcere nequit *L. pen. ff. de R. J.* Quoad ſecundum reſpondetur, quod minime in uxoris arbitrio poſitum ſit tale promittere, ab initio ſiquidem eorum, quæ a voluntate Dei unice dependent, diſpoſitio hominibus prolubitu non eſt conceſſa, quod de continentia & viduitate optime dici poteſt, nec permiſſum eſt, quemvis ſævire in proprium corpus, cum nemo membrorum ſuorum Dominus ſit, nec uxor tanquam imbecille inſtrumentum præſcire poteſt aut excogitare, quæ ſibi proficua ſunt, vel quæ ſervare poteſt, vel non, ratio, quia tempore viri nulla occaſione deſtituta fuit concupiſcentiæ ſatisfacere, quod mortuo marito ſecus, imo conſcientiæ ejus magis conſulitur, ſi nubat iterum, quam uri patiatur aut in impudicam vitam incidat.

§. XXIII.

Quod tertio Chemnitii attinet conſilium, hoc tanquam ſingulare donum non cuivis datum eſſe, neque ſufficere dicimus; rariſſima enim ſunt exempla, imo ſi dantur, ſatis horrenda ſunt, quale JANVS NICIVS ERYTHRÆVS *exemplo 12. p. 23.* de P. Franciſco Rocca e Societate Jeſu, qui de ſacerdote quodam ex eadem ſocietate enarravit, quod acriter tentatus ab aliqua fœmina impudica, quæ libidinis furore amens iſtum ad ſe accerſitum ſub prætextu morbi ad illicitum concubitum compellere conata eſt, qui in tanta anguſtia, cum omnes aditus clauſi fuerint, conſtitutus (ſit venia verbis,) eo, quod venter excreverat, os ſibi perunxit, atque ita fœdus ac ſordidatus mulieri in conſpectum prodiit, cui ſordes corporis, anima ne luxuriæ cœno inficeretur, ſaluti fuiſſe iſtosque impudicos amplexus effugiſſe ſuo exemplo teſtatus eſt; vid. AMMAN. *Iren. Num. Pomp. p. 40. ſeqq.* Quod quartum denique attinet obſtaculum reſpondemus, hunc dolum in ſe potius bonum eſſe, ratio, quia maritus tale vo-

Digitized by Google

tum nec acceptare debuiſſet, imo ſi fidelem & amabilem Sociam uxorem ſuperſtitem durante matrimonio cognovit non tam acerbus eſſe debuiſſet, illi poſt mortem ſua bona invidere ac perpetuo ipſi obligatam manere optare, cum poſt mortem nulla voluptas, nullum conſortium; eo ipſo enim prodit defunctus, cujus farinæ fuerit. Ergo potius tali mulieri, quæ hoc aſtu mariti dolum præoccupavit, atque ſic dolum dolo compenſavit, ſuccurrendum eſt.

§. XXIV.

Sed quid ſi promiſſio hæc jurata fuerit? notum enim eſt quod juramentum, quod non in præjudicium Salutis æternæ vergit, ſervandum ſit *c. ult. X. de Jurej.* non ſecus ac iſtud, quod latroni vitam mihi eripere tentanti præſtitum, non habita ratione timoris ac violentiæ, de quo BRVCKNER *Diſſert.* de promiſſ. per vim elicita. Præprimis cum hoc juramentum abſque enormi nota profanationis nominis divini & perjurii propter dubium eventum (an nimirum vidua manere poſſit nec ne) non ſit annullandum, cum viduitas in ſe nihil turpe contineat, imo encomiis multis ab Apoſtolo extollatur *1. Cor.* 7. Aſt juratam hanc promiſſionem non obligare rectius exiſtimamus. Primo enim hoc pactum tanquam per ſe iniquum Juramento non poteſt convalidari, læditur enim conſcientia utriusque paciſcentis, quippe in ordinationem divinam directo invehit, unde vir valde peccat uxori tale juramentum injungens, uxor vero præſtans pari modo peccat & reſiſtit præcepto Pauli *1. Tim. 5. v. 14.* Dein hoc juramentum, cui periculum animæ ineſt, juxta Canoniſtas nullum eſt *c. 28. X. de Jurejur.* aſt jurantes viduitatem tali periculo ſeſe exponunt. GERHARD. *in loc. de Conjug.* §. 19. facile enim contingere poteſt, ut flammæ libidinis tam ardentes fiant, ut iis reſiſtere nequeant, niſi remedio conjugii temperen-

tur

tur & tollantur juxta CHEMNIT. d. l. Ergo licet viduitas in ſe bona ſit, non tamen in poteſtate uxoris fuit; Cui accedit, tali juramento non ſervato vel annullato Numen divinum neutiquam profanari. Quodlibet enim juramentum tres continere debet comites *c. 26. X. de Jurej.:* Veritatem, juſtitiam & judicium, quorum alterutro deficiente juramentum erit nullum. Aſt vero quam facile uxores non perſuaderi poſſunt ſpe forſan lucri, aut intemperato amore convulſæ imaginatione aut reverentia intempeſtiva marito nihil denegandi, aut imminentem mortis horam duriorem reddendi, non perpendentes hoc juramentum contra ſalutem Reipublicæ eſſe, cujus maxime intereſt, ut civibus augeatur, quod imperator in *L. 2. C. de indict. viduit.* innuit, cum mulieres ad partum edendum natura produxerit *d. L. 2.* nec ulla caſtitatis præcepta conjugio derogare dici poteſt, cum potius ipſa ſervetur in eo caſtitas *C. Nicæna Synod. 12. d. 31.* inde potius hanc obligationem ex inordinata Zelotypia & invidia re illicita provenire aſſerendum eſt.

§. XXV.

His ita percuſſis ad noſtram revertimur legem, ubi quæritur, an dominus territorii in viduas ad ſecunda vota tranſire volentes pœnam talem ſtatuere eaque eas obligare poſſit; Videtur ex antea dictis, quod non, & quidem ideo, quia 1) dominus territorii & Princeps Legislator in legibus condendis maximam curam impendere debet, ne (1) ordinationi divinæ contraveniant, eamque impediant, quod hic contingere videtur, ſiquidem tali lege viduis implicite interdicitur nuptias ſecundas optare, multo minus eas impune celebrare. (2) cum nullum adſit delictum, quod viduæ denuo nubentes committant; ergo & nulla pœna in eas animadverti debet & poteſt; matrimonium

nium enim non tantum eſt de genere permiſſorum, ſed & præcepti divini, cui magis obediendum eſt & ſtandum erit, cum Princeps ſuam autoritatem non in ſævitia & rigore, ſed in manſuetudine & decore exercere debet, digna eſt vox Imperatoris: Licet legibus ſoluti ſimus, tamen legibus vivimus. *§. f. J. quibus mod. teſt. infirm.* Cui (3) accedit, quod iſtæ leges, quæ aliquo vitio aut turpitudine laborant, nullam recipiant obligationem, jam vero de hac lege, qua implicite conjugium iteratum quodammodo prohibetur, aliter tuto dici nequit, cum tamen conjugium liberrimum eſſe debeat, tale autem iteratum matrimonium conditiones deriſorias & ſcandaloſas continere videtur, quæ facile animos honeſtiores deterrent, & quidni duo Schreckenbergeri viduas caſte hactenus viventes deterreant, quos in ſacculo non conſuto Præfecto offerre vel transmittere tenentur, quaſi demortui mariti reliquias ſacrificent magiſtratui, quod honeſtis auribus & teneris conſcientiis haud minimum parit ſcrupulum. De qua fere idololatriæ ſpecie conqueritur Propheta EZECH. *c. 8. v. 14.* ubi mulieres ſedentes ſuper Tamutz deflebant, prout uberius hoc expoſuit JOACHIM. HILDEBR. *Antiquit. Eccleſ. Lib. 1. tit. de Fletu ſuper Tamutz. p. 77.* Imo petulantibus puellis, quæ præprimis hiſce teneris ætatis nubilis annis difficulter reſiſtere didicerunt, hæc pœna inſolita ulterius indagandi & inveſtigandi ſuppeditat occaſionem portamque aperit laſciviæ; Jam vero ex *L. 14. ff. de Cond. inſtit. & cap. fin. X. de Condit. appoſ. in deſponſ.* conſtat, tales conditiones pro non adjectis eſſe conſiderandas. His quarto addimus ludibrium quaſi & contemtum erga matrimonium, quod tamen ſanctum ſervari debet, quod redimere compelluntur viduæ ſeptem groſſis vel duobus Schreckenbergeris & miniſtro judicii, perſonæ, alias ma-

cula

Digitized by Google

cula notatæ dem Land-Knechte quatuor nummis, conſtat ſcilicet olim pro quæſtu meretricio habitos fuiſſe, unde odioſa iſta inter rixoſas lupas inculpatio orta eine vier Pfennig Hure. vid. URSINI *Diſp. de quæſtu meretricio.* SPEIDEL *ſub Lit. H.* Imo (5) quaſi publice proſtituuntur tales noviter deſponſatæ viduæ, ut iſto tempore, quo diem nuptialem vel ut Germanis audit: Ehren-Tag, celebrare volunt, Deumque invocare debent ſuper conjugio novo benedicendo, operam impendere teneantur, quomodo Saccum ſine ſutura conficiant, aut undenam Schreckenbergeros colligant.

§. XXVI.

Aſt hiſce non obſtantibus hanc legem Principem optimo jure condere viduasque obligare poſſe, ex ſequentibus infertur argumentis. Quoad 1) enim hac lege ordinationi divinæ nihil quicquam decedit aut ea minuitur. Multis enim in Germaniæ locis adhuc obtinet, ut uxores ducturi ſe magiſtratibus iſtius loci ſiſtant & veniam conſumandi matrimonii non tantum certis verborum formulis, ſed & certa pecuniæ ſumma impetrent, quod Jus vocatur Bedemunds-Recht, und wenn der Bräutigam perſönlich ſich der Obrigkeit ſtellt, Bedeweis (quaſi precario) ſein Vorhaben eröffnet und aufgezeichnet, ſo zahlt er zum erſtenmal 20. Mgr. 6. Pf. freyet er zum andern mal, giebt er 14. Mgr. 4. Pf. das dritte mal giebt er 7. Mgr. 4. Pf. das vierdte mal giebt der Bedemund nichts. Id quod obtinet in Ducatu Brunſuicenſi, prout ex *Conſtit.* HENRICI, *Ducis Brunſuicenſis anno 1433.* edita apparet. Et hoc quoque apud Saxones *L. 3.* Land-Recht Art 73. obſervatum in Vandalis reperimus: Die Wenden, ſo auch Nothdoringen geheiſſen, müſſen ihre Gebühr und Bauer-Miethe ihren Herrn geben, ſo offt ſie Mannen nehmen wollen. Ex quibus colligere licet, cum hæ ditiones

(juxta nonnullorum enim traditionem Ileburgum Julii Cæſaris tempore contra irruptiones Vandalorum, qui trans Albim fluvium habitarunt, exſtructum eſſe dicitur, quaſi Julioburgum, ALBIN. *Miſn. Chron. p.* 434. *Hiſt. Script. anon. Erpherford. de* Landgr. *Thur. c.* 2. *p.* 2. quod tamen maxime hiſtoricæ fidei ſuſpectum eſt, & redolet fabulam, teſte PEKENSTEINIO *in Theatro Saxonico.*) a populis Vandalorum Mildinis (forſan Muldinis a fluvio Mulda) & quidem ut plurimum hominibus popriis antea inhabitatæ & occupatæ fuerint, etiam Hiddam ad imitationem Vandalorum hanc legem condidiſſe, non ſecus ut in Luſatia inferiori, item Bohœmia aliisque in locis, ubi ſervi & homines proprii habentur, adhuc in uſu eſt, abſque conſenſu Domini ne matrimonium ineant; non igitur conjugium prohibetur, aut reſtringitur libertas nubendi in genere & in ſe conſiderata, ſed ſaltim tempus celebrandi nuptias ſuſpenditur, uſque dum noviter conjungendæ perſonæ cenſum iſtum una cum ſymbolo ſacco ſcilicet non ſuto ſolverint.

§. XXVII.

Nec ſecundum argumentum quicquam facit, proprie enim pœna hæc diſpoſitio dici nequit, cum nullam proportionem contineat; pœnæ autem delictis commenſurari debent, nulla quoque culpa præcedit, vidua enim ſicuti mariti prioris mortem differre non potuit, licet forſan in votis habuerit, ut prior adhuc viveret, ita nec culpam commiſiſſe dicenda, quod ad ſecunda tranſierit vota, ſed ſaltim cenſus eſt quaſi λύτρον νεογαμικὸν quod fiſco ſuperiori accedit pro hiſce iteratis nuptiis, & ad reditus Camerales ſpectat, non ſecus ac iſte cenſus, quem ſub eadem Præfectura nonnulli ſubditi, qui vocantur Brückenſchärffer, ab eo, quod antiquis temporibus pontes & vias publicas reficere curaverint, die Stephani mane, antequam campanis convocan-

tur

tur homines ad cultum divinum, cenſum, qui in duobus nummis vel tribus obulis zwey Pfennige oder drey Hellers-Pfennige conſiſtit & vocatur Brückenſchärff & quidem ſub pœna viginti groſſorum eines alten Schocks, qui iſto tempore præciſe non ſolverit; pari modo cenſus pro ſubſelliis templorum, quæ poſt mortem poſſeſſoris heredes iterum redimere certo pretio tenentur; unde perquam durum eſſet dicere, quod homines arceantur a viſitatione cultus divini, quia ſubſellia redimere teneantur. Et quis quæſo in rationes Legislatoris ſpecialisſimas ſatis inquiret, aut illi modum condendi leges præſcribere tentet, intentio enim pro Magiſtratu omni tempore optima præſumenda, ergo & hoc caſu, ubi ſuperiori in recognitionem quaſi novi matrimonii cenſus hic ſolvitur, ita erit ſtatuendum.

§. XXIIX.

Quoad tertium, quaſi hæc lex bonis moribus contrarietur & aliqua laboret turpitudine morali, ſciendum omnibus actibus humanis atque ita legibus apponi poſſe certas qualitates, certasque conditiones; harum conditionum aliæ ſunt poſſibiles, aliæ impoſſibiles, illæ vel poteſtativæ vel cauſales, vel mixtæ *l. ult. C. de neceſſ. ſerv. inſt.* poteſtativa, quæ in poteſtate ejus, cui aliquid ſub eadem relictum conſiſtit *l. 3. ff. de Cond. inſt.* eaque vel affirmativa, quæ ſpecifice non per æquipollens implenda & in faciendo conſiſtit *L. 55. & L. 94. ff. de condit. & demonſtr.* negativa, quæ in non faciendo conſiſtit *l.* 72. §. 2. *& l.* 77. *ff. de condit. & demonſtr.* Caſualis, quæ a mero eventu fortuitoque caſu dependet *l. 60. ff.* d. t. mixta, quæ partim a voluntate ejus, cui adjecta, partim ab eventu fortunæ dependet *l. unic. C. de caduc. toll. l. 1. & 8. c. de Inſt. & ſubſt.* Imposſibilis natura, lege, facto vel perplexitate talis dicitur, uti ex *L. 3. ff. de Cond. & Demonſt. l. 4. §. 1. de ſtat. lib. l. 14.*

& l. 16. ff. de Cond. inſt. patet. PEREZ. WISSENBACH. HAHN ad WESENBECIVM. SICHART. *ad tit. C. de Inſt. & ſubſt.* Hiſce impoſſibilibus annumerantur eæ, quæ aliqua turpitudine morali laborare dicuntur; dicitur autem res vel factum turpitudine morali laborare, quando in legem naturæ & poſitivam moralem divinam vel honeſtatem univerſalem impingitur. Noſtram igitur ſanioribus oculis intuentes legem, ex ſuperioribus conſtat, eam nequaquam in dictam legem moralem divinam impingere, ideo, quia ordinationem divinam neque directo neque per indirectum prohibet aut impedit, hunc enim cenſum omnes viduæ matrimonium iterantes facile ſolvere poſſunt, cujus ſumma in ſeptem groſſis quatuor nummis & ſacculo duorum nummorum conſiſtit, nec honeſtati univerſali repugnat, in quo enim quæſo turpitudo ejus concipi poteſt, an non domino territorii licitum certo ſub cenſu ſubditis aliquid imponere? Non ſecus ac ſi Princeps leges monetarias, veſtiarias, προεδρίας, luſus, de gladiis ferendis præſcribit, quales Ordin. Polit. aliæque Conſtitutiones & Leges teſtantur. Nec hæc lex deriſorias continere conditiones aut magnum præjudicium noviter nubentibus creare poteſt, viduæ enim hac lege non obſtante, ſecunda vota haud ſpernunt, modo opportuna ſeſe obtulerit occaſio, imo minus quam verum eſt, hunc cenſum deriſoriis conditionibus æquiparandum, ſiquidem omnes in hac ditione viduas obligat, ergo ſeſe invicem derideant neceſſe eſt; Nec facile præſumendum viduam tanto pudore & conſcientia tenui tangi, quæ ſecunda vota, rem divinæ ordinationi convenientem, legi huic poſtponat, vel ad momentum propterea diem nuptialem differat, cum conſideret, quod DEVS T. O. M. illius viduitatis ſcilicet, in quo miſerabilibus perſonis annumerata erat, juxta *l. un. C. Quand. imperat.*

Digitized by Google

perat. int. pup. vel viduas vel alias miſerab. perſ. mutaverit, ut deinde non tantum novum ſocium acceperit, ſed & talem, cujus nomine & gloria itemque priore lege ſimul gaudere poteſt, iisdem erigitur ac conſolatur. Quibus addimus nullum profecto ſcandalum exin metuendum, niſi acceptum intelligas, honeſtis enim auribus omnia honeſta, & Schreckenbergeri iſtis temporibus certa moneta erat, ſicuti die Dittgen, Oertgen, quemadmodum noſtris temporibus, Bazen, Schillinge, Fledermäuſe, quis autem tam veſanus erit, ut intelligat veſpertiliones.

§. XXIX.

Tantum autem abeſt, ut quoad quartum in contemtum matrimonii cedere dici queat, huic enim dubio iſtam reponimus legem, qua in nonnullis locis ſponſa Domino Jurisdictionis ſolvit groſſum cum oſculo & quidem iſto die nuptiali, antequam accendantur candelæ ſub pœna duorum florenorum.

§. XXX.

Nec eſt denique, quod tales denuo nubentes viduæ proſtituantur, ſiquidem ſuperiori obtemperant, potius itaque laudibus extollendæ quam ſi ex imaginaria & ſelecta opinione ſuam proderent contumaciam; duplici enim modo ordinationi divinæ obediunt, primo nuptias novas celebrando, dein legi publicæ & Magiſtratui obtemperando, quare in domino nubunt atque æque benedictionem a Deo impetrant.

§. XXXI.

Porro occaſione legis noſtræ ſequens ſubnaſcitur quæſtio, an etiam ſponſa, cujus ſponſus ante copulam ſacerdotalem & cohabitationem mortuus eſt, ſi deinde alteri nubat, tanquam vidua ad exſolutionem hujus ſacci nonſuti teneatur? Fundamentum hujus quæſtionis in eo ſitum eſſe

 vide-

videtur, quod ſponſi ſponſæve in quibusdam habeantur pro veris conjugibus *L. 4. ff. de fund. dot. L. 15. §. 24. ff. de injur. l. 13. §. 3. ff. ad L. Jul. de adult. l. 5. C. de bon. quæ lib. l. 2. §. ſi ſponſa ff. de privil. Cred. L. 17. §. 1. ff. de reb. autor. Jud. poſſ. vel vend.* de ſponſo videri poteſt *l. nuptias ff. de R. J. l. 15. ff. de cond. & demonſt.* GAIL. *l. 2. obſ. 80. n. 3.* MENOCH. *l. 4. Præſ. 147. n. 4.* BERLICH. *p. 3. concl. Pr. 25. n. 10.* quibus adminiculari videntur *c. 5. X. de frig. & maleſ. &c. viduas.* 27. *qu. 1.* ubi dicitur ſponſam tunc demum pro virgine habendam, quando ſe intactam cum ſeptima manu ejuraverit, alias uxoria & matrimoniali non virginali veſte illi uti licere. Aſt licet in aliquibus juris effectibus deſponſatæ habeantur pro conjunctis, id tamen non niſi in lata & benigna interpretatione contingit *p. c. Presbyteri d. 34. l. oratio ff. de ſponſal.* adeo, ut in iis, ubi concubitus pro forma requiritur, non obtineat *L. 2. & 3. ff. ad L. Pomp. de Parricid. L. 10. ff. de his, qui not. infam. l. 16. C. de donat. ant. nupt.* TIRAQVELL. *in LL. Conn. Concl. 2. n. 2.* præſertim Jure Saxonico, ubi ingreſſus thori maritalis & concubitus indiſtincte requiritur. L. R. *L. 1. art. 31. & art. 45.* in verb. und tritt in ſein Recht, wenn ſie in ſein Bette tritt, conſcenſio enim thalami pro forma ſubſtantiali habetur. *Conſt. Elect. Sax. P. 3. Conſt. 19.* ibi, daß der Oerter an Sachſen recht gehalten das Beylager, oder das Bette beſchritten ſeyn muß. Quod & WEHNER. *in Obſ. Pr. & reform. Francofurt. P. 2. t. 3. §. 3.* ita obſervatur. Ehelichen beygelegen und darauff einander Beywohnung gethan und alſo rechte Ehe-Leute werden. SCHNEID. *ad §. 29. inſt. de action. n. 109.* COTTHMANN. *Vol. 2. Conſil. 78. n. 98.*

§. XXXII.

Quid ſi autem ante benedictionem ſacerdotalem ſponſa cum ſponſo carnaliter concubuerit, poſtea ſponſus mortuus

Digitized by Google

tuus ante copulam, annon talis deflorata relicta pro vidua habenda ad eum effectum, ut poſtea alteri nubens viduæ inſtar hunc cenſum ſolvere teneatur; Sane Sponſalia etiam de futuro per concubitum in veras tranſire nuptias textus in *c. Si quis nuptias d. 30. c. fin. X. de ſponſ. c. 3. X. de ſponſ. duor.* evincunt, aſt cum ante benedictionem ſacerdotalem non veri nec legitimi dicantur conjuges, ita nec morte diſſolutos viduos viduasque eſſe aut juribus viduitatis gaudere poſſe dicendum MOLL. *ad Conſt. Sax. P. 3. Conſt. 19. n. 6.* BERLICH. *P. 4. Concl. Pr. 25, n. 37.* iniquisſimum ſiquidem eſſet, qui contra leges peccant atque ita anticiparunt, nec tempus benedictionis expectarunt, melioris eſſe conditionis præ iis, qui conjugium in caſtitate & timore Dei inchoavere; tali enim modo viduis honeſtis haud levis inferretur injuria, ſi illegitimo modo commixtæ eis æquiparentur, cum nemo ex delicto lucrum captare debeat *L. f. C. de reb. cred. L. 7. C. de nat. lib.* quare hæ perſonæ prohibito coitu maculatæ nomine viduarum cum venire nequeant, inde ſi ad ſecunda vota tranſeant & e ſuggeſtu proclamentur, tunc abſque titulo & nomine proclamantur, prædefuncti ſponſi vel deflorantis, nec etiam eas ad ſolvendum hunc cenſum admittendas ſtatuimus.

§. XXXIII.

Id quod etiam extendimus ad eas, quæ quoad thorum & menſam ſeparatæ ſunt, perſonas, cum enim hæc ſeparatio verum divortium dici nequeat, ideo, quia vinculum matrimonii non afficit ſed ſaltem cohabitationem, proinde veram viduitatem inducere haud poteſt *l. 32. §. 13. ff. ad Donat. inter vir. & uxor. l. 64. ff. eod. l. pen. ff. ad L. Jul. de adult.* hinc eas nec viduis annumerandas volumus.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Aliter igitur erit dicendum de iis, ubi ob adulterium alterius conjugis aut malitioſam deſertionem divortium factum partique innocenti permiſſum ut alteri nubat, non obſtat quod CHILIAN. KOENIG *in Proc. cap. de var. Pœn. rubr.* Von Ehebruch opinatur. Nach Ordnung derer bewehrten Rechte ſcheidet Ehebruch Mann und Weib von Bett und Tiſch. Es muß aber keines bey des andern Leben ein ander Weib oder Mann nehmen. Suffultus textibus Jur. Can. *c. literis X. de præſumt. c. 13. X. qui filii ſunt legitimi*, quibus etiam annuere videtur illud Apoſtoli *1. Cor. 7. v. 11.* Si diſceſſerit maneat innupta. Jure enim divino & humano certo certius conſtat, adulterio vel malitioſa deſertione non quoad thorum & menſam tantum, ſed in totum matrimonium diſſolvi, ita ut ſtatim alteri ſit facultas data novas appetendi nuptias per expreſſum text: *Matth. 5. v. 32. c. 19. v. 9. vid. L. 8. §. 23. & 24. C. de repud.* BEVST. *de matrim. c. 4. & ad L. 41. ff. de Jurej. n. 961.* BERLICH. *Concl. P. 4. concl.* 27. hinc & *Lutherus p. 2. Tom. 5. Jenenſ. p. 255.* ita: Ich bin und mag nicht wehren, wo die Gemahl die Ehe bricht, und den bewieſen worden, daß der andere Theil frey ſey und ſich ſcheiden möge und mit einem andern verehlichen. Hoc enim modo cum Jura & privilegia viduitatis conſequatur pars innocens morte alterius conjugis civili, merito & pro vidua tali modo ſoluta vel deſerta erit habenda, atque ideo ſi alteri nubat, ſub cenſum iſtum viduarum trahi poſſe dicendum.

§. XXXV.

Quod tamen reſtringitur in iis, quæ a marito, ob impotentiam, a matrimonii vinculo liberæ declaratæ ſunt, ſiquidem pars ſubſtantialis defuit, nimirum cohabitatio carnalis, quare nec proprie conjugium dici poterit, etenim mari-

Digitized by Google

maritus jura viri in thoro defendere non voluit, eum impoſſibile ſit habitum & privationem uni ſubjecto ſimul ineſſe, implicat enim contradictionem in adjecto, maritum quem eſſe & tamen ſimpliciter inhabilem ad cohabitationem, conjugium eſſe absque conjuge, matrimonium vocari, ubi uxor ob impotentiam viri mater fieri nequit; quare cum hæ nuptiæ pro nullis reputentur, nec diſſoluta perſona nomine vidui aut viduæ venire poterit. *a. l. 30. ff. quand. dies leg. vel fideic. cedat.*

§. XXXVI.

Porro hæc lex cum viduas adſtringat in & extra oppidum ſub ditione Ileburgenſi degentes, an etiam viduas extra territorium aliorum nubentes obligabit? Reſp. omnino, quamdiu ſub jurisdictione hac morantur, tamdiu etiam huic legi ſubjectæ ſunt, per expreſſa verba textus, inn-oder auſſerhalb ihres Gebiethes, nec enim citius vidua forum mutaſſe dicenda quam ſecundo viro juncta eſt, imo cum alio in loco proclamari e ſuggeſtu non poſſit, neceſſario etiam ad cenſum præſtandum obligabitur. Maritus enim ſecundus nullum jus adhuc in ſponſam viduam habet ratione fori, niſi copula præceſſerit, ergo tum demum etiam ſequi novi mariti forum judicanda viuda, ſi copula ſacerdotalis peracta, ſive ibidem ſive alibi copuletur, nihilominus cum ſacco comparere cenſumque ſolvere tenebitur, non ſecus ac contra vidua extranea, quæ ducitur, immunis eſt, cum ſub hac ditione non fuerit, licet nuptiæ Ileburgi celebrentur, cum a loco copulationis ad locum fori ſ. jurisdictionis illatio fieri nequeat. Pari ratione hæ viduæ erunt immunes, quæ mutato foro alium ſe contulerunt in locum, ibique dein alteri viro junguntur. Quid vero Juris, ſi adhuc

Digitized by Google

huc ibidem immobilia posſident? Reſpondetur, locus habitationis inſpiciendus, cum fieri poterit, ut viduæ alibi degentes immobilia ſic ſibi emant, quæ tamen exinde pro Ileburgenſibus non ſint habendæ.

§. XXXVII.

Tandem cum lex certam addiderit comminationem pœnam pecuniariam ſexagenæ novæ ſcilicet, quæritur, utrum refractaria vidua cenſum ſolvere detrectans a celebratione nuptiarum poſſit repelli, ita ut non prius copuletur, donec cenſum cum ſymbolo, ſacco ſcilicet non ſuto ſolverit. Et videtur, quod non, quia adeſt pœna, qua præſtita, immunis debet eſſe a cenſu, nec enim duplici modo puniri poterit, præprimis cum expreſſe lex dicat: bey Straffe eines neuen Schocks: atque ita durum omnino eſſet viduam compellere ad ſolutionem ſacculi non ſuti & mulctæ pecuniariæ, cum pœnæ delictis correſpondere debeant, nec pœna gravior eſſe debet delictis, electio enim viduis data videtur aut ſolvere cenſum aut pœnam pecuniariam experiri, cui accedit tertio, quod tali modo per indirectum quaſi ſecundum, impediatur vel inhibeatur conjugium; Aſt contrarium verius eſſe nihilominus erit aſſerendum ideo, quia hæc pœna pecuniaria ſaltim ob contumaciam exigitur, non ſecus ac iſti, qui certum canonem vel lytrum, ut ſupra de cenſu, Brückſchärff, dictam præſtant, qui ultra mulctam etiam iſtum canonem ſolvere tenentur, quod & hic ita obſervatur, adeo ut tales copulandi non prius admittantur, ſed fores templi claudantur, donec iſte cenſus una cum mulcta ſolutus idque ob contumaciam, qua ſeſe legi huic ſubtrahere & ita magiſtratui illudere conati ſunt, quod tamen ſecus in iis, qui extra territorium nubunt, cum enim

iſto

iſto caſu copulam impedire haud valeat Magiſtratus, attamen non deſunt alia media hanc commiſſam illuſionem atque contumaciam coërcendi ſimulque pœnam exigendi, quod vel per ſubſidium juris vel executione in bona viduæ relictæ vel etiam pro re nata carcere fieri poſſe haud diffitemur.

COROLLARIA.

I.

NEVENHAHN *d. J. & Priv. viduit. M. 1. Sect. 4. p. 8. ex* MELCHIOR KLING. *a Stenaw. de cauſ. matr.* quæſtionem adducit, An virum mortuum poſtea vero reſuſcitatum vidua iterum aſſumere atque ei cohabitare teneatur? Recte negat id *gloſſ. in c. licite 32. q. 7. it. Br. & Bl. ad L. 5. ff. de LL.* TIRAQVELL. *in LL. connub. Connub. Concl. 6. n. 19. non obſt. l. 3. in fin. ff. de divort. l. 8. & l. 14. ff. de Capt. & poſt liminio reverſ.*

II.

Uxor ob arctitudinem inſuperabilem, qua a primo marito ſoluta, ab alio dein habilis reddita, an pro vidua habenda; an primo marito jungenda? *C. fraternitatis X. de eo qui cognov. conſ. ux. &c. 6. X. de frigid. & malefic.* poſterius innuunt, vid. tamen AMMANNI IREN. NVM. POMPILII cum HIPPOCR. *ad l. 14. §. 7. ff. de edilit. edict. pag. 153.*

III.

Viduæ majorem caſtitatem exhibere tenentur, quam vidui *l. 2. §. 1. C. de his, qui veniam. L. 16. §. f. ff. de pœn.*

Digitized by Google

quare vero pœna adulterii in fœminis mitigata? *in avthent.* ſed hodie *C. ad L. Jul. de adult. Nov.* 134. *c.* 10. in conflictu demonſtrabimus.

IV.

Vidua, quæ oſcula patitur, an libidinoſe vivere dicenda? *L.* 2. *C. indict. viduit. toll. Nov.* 39. *c.* 2. aſſerunt, quæ tamen reſtrictionem ſortiuntur in *c. nec aliqua* 4. *c.* 27. *qv.* 1. ratione ex *c. fin. X. de præſumt. l.* 77. §. 25. *ff. de Leg. II.* & *l.* 30. *pr. C. de inoff. Teſtam.* petita.

VA 1 152003

Digitized by Google